

325
D
95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

12

325 D 95

KW

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
AD
Legem Corneliam de Sicariis,

QUAM,

Divino Favente Numine

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. BERNARDI FULLENII,

J. U. Doct. & in Alma Friſiorum Academia Matheſeos Profeſſoris acutiſſimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & privilegiis rite & ſolenniter conſequendis,

Publico examini ſubjiciet

JACOBUS WILH: HILLEBRANTS,

Harl. Friſius.

Ad diem Junii hora locoque ſolitis.



Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

FRANEQUERÆ,

Apud JOHANNEM GYZELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Ampliſſimo, Spectatiſſimo ac maximis in republica honoribus geſtis conſpicuo

V I R O,

D. ARNOLDO AB HAERSMA,

Expraetori in *Smallingerland*, ad conſeſſum conſilii ſtatus ex Friſia non ita dudum Delegato prudentiſſimo, nunc Collegii Octoviralis Membro digniſſimo, honoribus ſumma cum laude geſtis incluto, cognato ſuo, ob multa amicitiæ ſigna in ſe præſtita, plurimum honorando,

Hanc Diſputationem ſuam Inauguralem ea, qua par eſt, reverentia ac gratitudine

Dat Dicat Dedicat

CANDIDATUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS;

AD

Legem Corneliam de Sicariis.

THES. I.

Iudiciorum Romanorum ſumma diviſio eſt, quod ſint vel civilia vel criminalia : Criminalia iterum diſtinguuntur, quod ſint vel Publica vel Privata: hæc quæ illis tantum competunt quorum privatim intereſt, veluti furti, Legis Aquiliæ, injuriarum &c. Publica ſunt in quibus quibuslibet datur accuſandi poteſtas, idque ex lege aliqua publicorum judiciorum §. 1. *I. d. publ. judic. l.* 1. *ff. eod.* Iudiciorum Publicorum rurſus quædam ſunt capitalia, quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

dam non capitalia. Capitalia Iure Civili Romano ſunt in quibus pœna eſt mors aut exilium, id eſt, aquæ & ignis interdictio: per has enim pœnas eximitur caput de civitate: nam cætera non exilia ſed relegationes proprie dicuntur: tunc enim civitas retinetur: ita diſſerit Paulus in *l.* 2. *ff. d. public. judic.* nec aliter Ovidius lib. 5. Triſt.

Ipſe relegati non exſulis utitur in me
Nomine:

& alibi

Nil niſi me patriis juſſit abeſſe focis.

Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio, pœna eſt, *d. l.* 2. *ff. d. publ. judic.* inter capitalia judicia minimi pretii non videtur eſſe judicium Legis Corneliæ latæ de Sicariis, quæ Lex in præſentiarum Diſputationis noſtræ erit materia, ergo ad rem ipſam.

I I.

Legem hanc tulit Lucius Cornelius Sylla (qui poſt victum Marium, rempublicam ſibi vindicavit, & dictatorem perpetuum ſe creari curavit, qui magiſtratus cæteroquin ultra ſemeſtre ſpatium officio ſuo non fungebatur) ad coercendos graſſatores & homicidas, qui ex licentia bellorum civilium erant frequentiſſimi: Pomponius in *l.* 2. §. 32. *ff. d. orig. jur.* lata eſt hæc lex præcipue de ſicariis & veneficis.

Si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

III.

Sicarii autem ſunt, vocabulo ſtricte ſumpto, qui homines ſicis occidunt, vel occidendi cauſa ſicas geſtant. Sica autem erat brevior gladius, ut veſte tegi poſſet, eaque re aptus ad ſubitas cædes vel ipſa in turba patrandas. Vetus Scholiaſtes ad verba *Horatii* quæ occurrunt *lib.* 1, *ſerm. Sat.* 4. v. 3. 4.

Si quis erat dignus deſcribi; quod malus, aut fur,
Quod Mœchus foret, aut ſicarius, aut alioquin
Famoſus.

Sica, inquit, *gladius eſt permodicus, quem ſolebant malefici in baculis geſtare, ut ex inſidiis aliquem interficerent, unde dicti ſunt ſicarii.* Tantum de derivatione vocabuli.

IV.

Sub hoc autem titulo Sicarii latius appellantur, non modo qui ſicas geſtant, ſed etiam qui quovis alio telo, vel inſtrumento ad necandum apto homines dolo malo occidendi cauſa utuntur uti docet Imperator: in §. 5. *d. publ. judic.* & Gajus in *l.* 233. *ff. d. Verb. Sign.*

V.

Venefici ſunt qui homines veneno occidunt vel hominis necandi cauſa venena mala faciunt, vendunt, habent. *l.* 3. *pr.* &. §. 1. *ff. ad Leg. Corn. d. Sic.*

 di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

dicuntur venena mala, quia etiam dantur venena bona, nam & medicamenta venena ſunt: ſub nomine venenorum enim continetur omne id, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſt, mutat. *l.* 236. *ff. de Verb. Sign.*

VI.

Tenentur hac lege omnes hi qui hominem dolo malo, (qui omnino requiritur ut legi Corneliæ ſit locus nec in hac lege lata culpa pro dolo accipitur *l.* 7. *h. t.* ſecus ac in contractibus *l.* 32. *ff. depoſ.*) occiderunt, vel quorum dolo malo incendium factum eſt, quive hominis occidendi cauſa cum telo ambularunt: præterea tenetur & ille qui hominis necandi cauſa venenum confecerit, dederit: quive falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, Item & is tenetur cujus familia, ſciente eo adipiſcendæ vel recuperandæ poſſeſſionis cauſa arma ſumſerit, & cæteri qui enumerantur in *l.* 1. *pr:* §. 1. *ff: h. t. l.* 3. *pr:* §. 1. & 4. *ff. eod.*

VII.

Quæri autem ſolet an is qui hominem occidi mandat & ille hoc mandatum exſequitur in eadem ſint cauſa, id eſt, an ambo ordinaria legis Corneliæ pœna teneantur? verius eſſe putamus quod ambo, tam mandans quam mandatarius, teneantur, rotunda enim eſt deciſio in *l.* 15. §. 1. *ff. h. t. arg:*

l. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

l. 7. §. *ult. ff. d. Juriſd:* nec ſecus eſt ſi juſſus intervenerit, veluti ſi pater vel Dominus, filio vel ſervo imperaverit ut hominem occideret: quod enim dicitur mandatarium illum, qui ſub poteſtate eſt, aliquando excuſari, obtinet tantum in minus atrocibus. Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris ignoſcitur ſervis, ſi vel Dominis vel his qui loco dominorum ſunt veluti tutoribus vel curatoribus obtemperaverint. *l.* 15. 7. *pr. d. R. I.* exemplum eſt in *l.* 10. §. *ult. ff. de his quæ ut indign.*

VIII.

Tranſeamus nunc ad aliam de mandante & mandatario quæſtionem, qua quæritur an is, qui mandavit vulnerari, occidi autem prohibuit, ſi mandatarius hominem occiderit, teneatur Lege Cornelia. Alii Negant, alii affirmant. puto diſtinguendum dicendo, teneri mandantem ſi mandatarius per imprudentiam hominem occiderit; ſane dolus heic omnino requiritur, ſed quia verſatur in actu illicito & re peſſimi exempli, hoc in locum doli videtur ſuccedere ex *l.* 36. §. 5. *ff. de pœn.* & ſcire debuit mandans vulnera ad menſuram non poſſe infligi, nec hoc eſſe in poteſtate mandatarii: accedit quod nihil interſit ipſe occidat quis an cauſam mortis præbeat. *l.* 15. *pr: ff. h. t.* nec novum eſt cædem imputari ei qui ipſe cædem non fecit. *l.* 6. *C. ad l. jul. de vi publ: l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* ex

his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

his dicendum videtur tam mandantem quam mandatarium hac lege teneri.

I X.

Hujus loci porro eſt quæſtio illa tralatitia, an is, qui cum Titium interficere vellet Sempronium interfecit, in hanc legem Corneliam incurrat: quod videtur eſſe ponendum extra omnem dubitationis aleam: quid enim; ſi ille, qui telo inſtructus hominis occidendi cauſa ambulavit, tenetur, uti eſt in *l.* 1. *pr : h. t.*, multo magis & ille qui & cum telo ambulavit hominis occidendi cauſa, & hominem occidit tenebitur, licet illum quem voluerit, neci non dederit. Sic cum alicui fit injuria ab eo cui eſt ignotus, aut ſiquis putet eſſe Lucium Titium cum ſit Cajus Sejus, certe ille qui injuria affecit Cajum Sejum ipſi injuriarum tenebitur, prævalet enim quod principale eſt injuriam cum Cajo Sejo facere velle. *l.* 18. §. 3. *ff. de injuriis.*

X.

Poteſt aliquando fieri, ut ille qui cædem fecit abſolvatur, & è contrario ille qui cædem non fecit legis Corneliæ pœna afficiatur, ſecundum Divi Hadriani reſcriptum, quod exſtat in *l.* 1. §. 3. *ff. h. t.* quod primo intuitu rationi non ſatis convenire alicui forſan videretur: ſc: reſcriptum hoc omnino adtemperatum eſt rigori legis Corneliæ,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

quæ (uti dictum) dolum deſiderat, unde igitur neceſſario ſequitur, eum, qui dolum hominis occidendi cauſa adhibet, hac lege teneri, & cum lata culpa dolo heic non æquiparetur, ſequitur quoque, eum, qui ſine occidendi animo hominem occidit, dimitti debere, cum in maleficiis voluntatem ſpectari non exitum idem Imperator in *l.* 14. *ff. h. t.* reicripſerit, & crimen tum demum contrahitur, ſi voluntas nocentis interveniat: Cæterum ea quæ ex aliquo impræviſo caſu potius quam fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputantur. *l.* 1. *C. ad L. Corn: d. ſicar:*

X I.

Vidimus qui teneantur hac lege obcommiſſum delictum, videamus nunc qua pæna afficiantur; olim pœna, quæ eſt delicti coërcitio. *l.* 131. *ff. d. V. S*, ex hac lege fuit deportatio & omnium bonorum publicatio *l.* 3. §. 5. *ff. h.* poſtea delinquentens cæperunt capite puniri, præter honeſtiores, qui in inſulam deportabantur, *d.* §. 5. *l.* 3. Juitinianus vero in §. 5. *inſt: d. publ: jud:* ſimpliciter gladii pœnam propoſuit, quæ pœna juri divino & naturali rationi maxime convenit: nam qui ſanguinem hominis effundit & ejus ſanguis effundetur, Deus enim hominem ad imaginem ſuam fecit. *Gen:* 9. *V.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

XII.

Sunt qni etiamſi occiderint ab hac pœna excuſantur, neque tenentur hac lege; in iis eſt infans, quem innocentia conſilii tuetur *l.* 12. *ff. h. t.* & cujus nullum eſt animi judicium. §. 1. *I. Quib. non eſt perm.* Furioſus quoque non tenetur hac lege, eum enim fati infelicitas excuſare dicitur, in *l.* 12. *ff. ad L. Corn. de Sic.* & quem ſatis ipſo furore puniri ſcriptum eſt in *l.* 14. *ff. d. Off. præſid.* Adde quia mente caret. §. 1. *Inſt. quib. non eſt perm.* Dein ille, qui non exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, omnino abſolvendus eſſe videtur ex *l.* 2. 3. 4. *C. h. t.* Nam jure hoc evenit, ut, quod quisque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure hoc feeiſſe dicatur. *l.* 3. *ff. de Iuſt. & Iur.* vim enim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt. *l.* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil.* adſtipulatur Cicero pro Milone his verbis: *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.* Idem quoque docet Ovidius dum canit.

Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

XIII.

Sunt & qui impune occidi poſſunt, inter hos eſt transfuga, qui ad hoſtem tranſit *l.* 3. §. *ult. ff. hoc tit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

tit. qui militiam deſeruit *l. 2. C. quand. lic. unic. ſine jud.* ubi & latroni comparatur: Qui nocturno tempore agros populatur. *l. 1. Cod. dicto tit.* Fur nocturnus ſi telo ſe defendat & parci ei ſine periculo non poſſit. *l. 9. ff. h. t.* & ſi occidens id cum clamore teſtificetur *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Qui filiamfamilias, quæ ſub poteſtate eſt, adulterat, poteſt ab eo, in cujus poteſtate filiafamilias eſt, occidi *l. 20. ff. ad L. Iul. d. adult.* Eum quoque, qui ſtuprum ſibi vel ſuis inferentem occidit, dimittendum Divus Pius reſcripſit. *l. 1. §. 4. ff. h. t.*

X I V.

Poſtremo notandum eſt, nihil inter eſſe cujus conditionis homo ſit occiſus, Nobilis vel Plebejus, liber an ſervus *l. 1. §. 2. ff. h. t.* Nam quod de ſervis prædicatur eos pro nullis haberi, eatenus tantum ſpectat quatenus non ſunt cives Romani neque eorum juribus potiuntur, nam quod ad jus naturale attinet omnes homines æquales ſunt. *l. 32. ff. d. R. I.* & quod in Lege Aquilia beſtiis æqui parentur, ideo fit, quia in commercio uti beſtiæ habebantur. *pr. I. d. Leg. Aquil.*

Hæc ſunt ea quæ de Lege Cornelia ſcribere erat animus, ampliorem ſi quis explicationem deſideret Iuris interpretes conſulere poterit, & notum eſt Benevolo Lectori hæc non tam ad explicandam hanc legem, quam ad de ea diſputandum eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

propoſita: interim ſi quid minus recte ſcriptum vel probatum ſit Lectorem Benevolum ut boni conſulat rogo. Nunc manum de tabula tollo. Atque heic ſit Diſputationis noſtræ terminus.

COROLLARIA.

I.

Ratihabitio patris Nuptias facit retro legitimas.

II.

Jus accreſcendi non tranſit in emtorem hereditatis.

III.

Condictio fuſtiva datur adverſus heredes furis in ſolidum.

IV.

Re adhuc integra tam morte mandantis quam mandatarii ſolvitur mandatum.

V.

Tutela recte munus publicum dicitur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

KLINKDICHT

ter eeren van den geleerden

JONGELING

JACOBUS HILLEBRANTS,

HARLINGER,

Der Beider Rechten Doctерſchap Begeerende, Maaker, en Verdediger van een verhandeling van ſekere Roomſche Wet, aangaande de moordenaars.

So, dat is loffelijk, geleerde HILLEBRANTS!
Gi ſtreevt na weetenſchap. Gi poogt d'aloude Wetten
Van 't ſtrijdbaar Arend-volk u vaſt in 't hert te ſetten.
Gi ſteigert na de trap der letter-lauwer-krants.
Gi preſt roemwaarde vrucht uw's wijſen rechter-hands,
Die wreede moorders wraakt, die 't diere leeven pletten,
En 't lemmer grouwelijk in 's naaſten purper betten:
Gi maalt haar ſtraf, O Pronk des braaven Nederlands!
Gi wilt nu (Stad-genoot!) ontrent d' Almeenſche wat'ren
Het hooge worſtel-perk van 't Frieſch Atheen beklat'ren,
En beuken 't knev'lend rot met prijs'lijk mond-geweer.
Gi ſoekt de Rechten-kroon, die, na ſijn wijſe Vader,
Uw' wijſe Vader kreeg. O! dat veel roem u nader.
Geluk. Vaar wel. Ontvang veel heil van d' Opper-heer.

Geſteld door

VITUS RINGERS, HARLINGER,
Predicant tot Ried.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Aan den ſelven.

Themis met haar letter-helden,
Trekt nu door de vlakke velden
Van Vrouw Pallas voedtſter-ſchoolen,
Om de dieptens, om de hoolen,
Te doorſnufflen, te doorſoeken,
Wat uit haar gewiide boeken
Is geſocht, en uitgeſoogen
Van die na de Parnas toogen.
Haar ontmoet een rommel-ſootje
t' Saamen in het wankel-bootje
Van 't verkeerd en bot verſtand,
Daar het dorr heevt d' overhand,
Wegje bengels, wegje vleegels,
Gy ontvangt van my geen ſeegels
Op uuw leuie logge leeden,
Die niet trekken wiisheids reeden.
Weg van hier Gy land-verdervers,
Vuil en vals gewin verwervers,
Die de wett en 't recht rabraaken,
En het goed en eerlik ſchaaken.
Dees taal ſprak Themis ſtrengigheid,
En gav dat ſchuim een bits beſcheid.
Mits ſoo ſietſe een ander ſootje
Roeiende in een vaſter bootje
Om eerlang eens door de baaren
Tot een haaven in te vaaren.
Liik als Iaſon met ſiin helden
Door Vrouw Thetis peekel-velden
Lande aan Colchis riike paalen
Om het gulden vlies te haalen.
Themis met haar ſchilde-knaapen
Stondt, en keek, en ſoud vergaapen

Sich

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Sich ſchier aan dit iilend ſeilen
Sonder ſchroom en ſonder peilen.
Maar haar hert ontwekt de iiver
Dien die vlugge riemen-driiver
HILBRANTS toond' in 't wakker vaaren
Door de bulderbruiſend' baaren.
Alles daalde na beneeden
Met geen loom' maar raſſe treeden.
Uit ontſach van de Heerlikheid
Die voor HILBRANTS was bereid.
Themis brak de ſterke banden,
Die de tong haar woorden ſtranden
Konden doen aan blinde klippen.
Sii laat ſtraks haar hert ontglippen:
HILBRANTS vlugge riemen-driiver,
Wat ontfonkt my niet uuw iiver,
Die ik ſie in 't ſnellik roeien,
Schoon de winden raaſen, loeien,
En het onderſt boven keeren
Om u van 't geluk te weeren.
Sulke mannen, ſulke helden
Sag wel eertiids op haar velden
Thetis, als de Griekſe vloot
Na 't vervloekte Troien ſchoot.
Gy ſiit miinen herten-ſteeler,
Gy ſiit miines roems uitdeeler
Van het Ooſten tot het Weſten
Veerdiger als d' alderbeſten.
Tot voeſterling neem ik u aan
En voer u langs de gladde baan,
Daar Wiisheids loon aan 't einde ſit,
Der Wetten doel, der rechten witt.
Ik maak een Krans voor u bereid
Wel paſſend't op uuw ſneedigheid.

I. I. S. W. E.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

AD EUNDEM.

CUm ſub præſidio docta plaudente corona
Judicium ſublime dari ſummumque tribunal
Quo coram inſpicitur quid fas ſit lege nefaſque,
Jurgia tolluntur, neque contranitier hiſce
Dogmata pura ſacri verbi, Tu mente ſagaci
Ingenue nuper dederis ratione probatum:
Inſuper obſcuri perplexa ſophiſmata ſenſus,
Ac dubiis contorta plicis quæſita parato
Solveris ingenio: tum Tu mihi carminis arma
Præbueras. Aſt iſtud opus ſine fine reliqui.
Nunc quid agam? rurſus (ratione priore remota)
Incipiam? fortaſſe minus tacuiſſe noceret.
Sed quamvis ſileam, clamant tamen undique cives
Harlinga friſii, atque volunt tua nomina faſtis
Æternis tradi, celebrari carmina grato.
Vos ajunt conferte ingens decus atque nitorem
Huic, redimite caput cingendo tempora lauru.
Non ſumus obliti nomen DOCTORIS id HILBRANS
Quam fuerit gratum nobis, patriis & avitis
Diriget hic rurſus noſtram virtutibus urbem.
Excipiemus eum permœno cordis ovatu
Ac hilari vultus habitu intra mœnia noſtra:
Doctoris titulo quoque, quo pater ac avus olim
Ornati fuerint, ipſum mactabimus omnes:
Denique nocturnum ſtndium, vigileſque labores
Ex animo optamus quod præmia digna ſequantur.
Quodqne vovent alii, vovet & tuus officioſus.

N. PISCATOR.
S. S. Min. Cand.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 D 95